BENEDICTUS PP. XIV

AD FUTURAM REI MEMORIAM. Omnium saluti paterna charitate intenti, sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animae Dni Nri Jesu Xpti ejusque Sanctorum suffragia meritorum consequi et illis adjutae ex purgatorii poenis ad aeternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant. Volentes igitur Ecclesiam S. Marci Canonicorum Regularium de Poenitentia Martyrum Civitatis Cracovien. in qua aliud altare privilegiatum non reperitur concessum, et in ea situm Altare SSmi Crucifixi hoc speciali dono illustrare, dummodo in dicta Ecclesia tres Missae quotidie celebrentur, de omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ut quandocumque Sacerdos aliquis Saecularis vel Regularis Missam defunctorum in die Commemorationis defunctorum et singulis diebus infra illius octavam, ac feria sexta cujuslibet hebdomadae, pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad praedictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut ejusdem Dni Nri Jesu Xpti ac B. V. M. Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus. Non obstantibus contrariis quibuscumque. Praesentibus ad Decennium tantum valituris. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXVI Aprilis MDCCXLVIII Pontificatus Nri Anno Octavo.

Gratis pro Deo et Scra

Pro Dno Cardinali Passioneo
Joannes Florius Substitutus

Dypl. 517

Privilegium

ob. univ. anim. ad altare privilegiatum quolibet feria [illegible]

Ao 1748.

Romae d. 26. Aprilis

Fasc. 5. No 40.

Fasc. 5.

Martinus de Zeromin Zeromski, Archidiaconus, Vicarius in Spiritualibus, et Officialis Generalis Cracovien, Praepositus Kielcensis.

Universis et singulis quorum interest, aut interesse poterit, significamus, et ad notitiam indubitatam deducimus. Quia Nos visis ac lectis introcontentis Literis Aplicis, sanis, salvis, et illaesis, easdem iuxta illarum tenorem, vim, et obloquentiam Authoritate Nostra Ordinaria, admisimus, facultatemque Christi Fidelibus publicandi concessimus. In quorum fidemque Datt. Crac: Die Mercurij 17. Mensis July. Anno Dni 1748vo.

Martinus Zeromski
Archid. et Off. Gnl. Crac.